



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Med. I. De Petro delinquente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

DIES PRIMA.

Tessera.

Domine, ne memneris iniquitatum mearum antiquorum, sed cito anticipent me misericordiae tuae, qui pauper factus sum nimis. ps. 78.

MEDITATIO I.

DE PETRO DELINQUENTE.

Scopus hujus meditationis erit delictorum tuorum gravitatem cognoscere, ad quod non parum conducet, si una parte peccati à S. Petro commissi gravitatem consideres, ex altera verò parte, tua peccata cum peccato illius compares. Præmissis ergo orationibus consueveris & præludijs orationarijs, quæ semper à te debito modo facta deinceps supplicam.

In puncto primo considera, quàm magna beneficia S. Petrus à Christo acceperit, tum per vocationem ad Apostolatatum; tum per tam salutarem instructionem verbo & exemplo factam; tum per Sacerdotij collationem; tum per SS. corpus & sanguinem paulò antè porrectum; tum per confidentiam ad ipsum habitam, dum ipsum cum SS. Joanne & Jacobo transfigurationis & agonix suæ, aliorumque sanctorum suorum testes esse voluit; & ex horum beneficiorum magnitudine collige, an non æquissimum fuerit, ut S. Petrus pro tot favoribus gratissimum se exhiberet, & præ reliquis Discipulis vehementius Christum amaret, & firmitus ei adhereret? Reflecte te postea ad tua quoque beneficia accepta à Deo, & vide, an non sicut similes favores accepisti, ita & similes quoque causas habueris, Deum ferventiùs amandi.

In secundo puncto considera qualitatem & gravitatem peccati à S. Petro commissi, quòd scilicet summum suum Benefactorem, Magistrum, Patrem tam amabilem nobis negarit, idque jurejurando confirmârit; cum ergo, teste S. Bernardo, nihil perinde displiceat Deo, præsertim in Filij gratiæ, sicut ingratitude, perpende, quantopere hæc negatio Christo doluisse, & displicuisse debeat, utpote quæ summam ingra-

ingrati tudinem involverit. Cum autem tu quoque per peccata tua similem negationem non tam verbis, quam operibus ipsis admiseris, an non dolorem & offensam tantò majorem Christo creaveris, quantò frequentius similia beneficia, maxime SS Corporis & Sanguinis communicationem repetivit.

In tertio puncto considera, quòd etiam ex repetitione negationis à S. Petro factæ non modicum pondus tali peccato accesserit, cum non ex fragilitate duntaxat, sed deliberata voluntate ortum se sumpsisse arguerit, atque adeò meritò Christo tantò magis displicuerit, quantò minus post tot causas amandi S. Petro datas tam subitam aversionem expectâtas, ita ut meritò ad eundem dicere potuerit, quòd Cæsar Imperator Romanus ad Brutum optimum Amicum suum dixerat, dum ad eundem occisoribus Cæsaris se sociantem dixit: & tu Brute? conclude itaque, cum tu non ter duntaxat, sed centies fortè, millièsque eundem Christum negâris, quantam per tot peccata displicentiam & dolorem Christi creaveris, & quàm justas adeò seriæ pœnitentiæ agendæ causas habeas. Resolvè te itaque ad talem pœnitentiam, tibi que dictum à S. Jaanne Bapt. credito? *Pœnitentiam age, quoniam appropinquavit regnum calorum.* Sin autem, venio tibi Apoc. 2. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

MEDITATIO II.

DE PETRO PœNITENTE.

Copus hujus meditationis est, cognoscere, quâ ratione S. Petrus de peccatis suis pœnitentiam egerit, pulchrùmque adeò tibi similis pœnitentiæ agendæ exemplum reliquerit.

In primo puncto considera, quòd S. Petrus non quancunque pœnitentiam egerit, sed seriam valde, & magnam, id verba Evangelistæ Matthæi c. 26. testantur: *Egressus foras flevit amare!* Quia scilicet illorum verborum Jer. 2. meminerat, & quasi à Christo sibi dicta credebat: *Scito, & Vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Domnum Deum tuum, & non esse timorem (& amorem) mei apud te.* Vide ergo, an non similes fendi causas habeas, tibi que illa Jeremia

Instru. VIII.

N n

mia